



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 12. Paulus IV. morbo correptus, ac hydropisi laborans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Hoc timore permoti Flandriæ Proceres huic malo, priusquam altiores radices ageret, obviaturi arcto fœdere sese conjungebant, præprimis decernentes, quod nisi Hispani milites e Belgio excederent, haud ultra tributum pendere velint: postea novæ sectæ erroribus favere cœperant, unde omnes, iique gravissimi, quibus Belgium exagitabatur, tumultus oriebantur, pro ut in Historiæ nostræ progressu recensēbimus.

Sæcul. XVI.
A. C. 159.

§. XII.

*Paulus IV. morbo correptus ac hydro-
pisi laborans.*

Attamen tot anxietatis curæ, fastidia, ac tumultus summum Pontificem, aliunde octoginta quatuor ferme annorum senem adeo deprimebant, ut citato gressu ad sepulcrum contendere videretur: nam præprimis hydropisi laborare cœperat, quo morbo paulo post magis, magisque invalescente, cum de salute ejus penitus conclamatum esset, extremum vitæ suæ diem propius instare cognoverat: quapropter die decima quarta Augusti Cardinales ad suum cubile accersiri jubens, morituris licet, ac hiulcis vocibus, admirabili tamen eloquentia, & sana adhuc mente illos ita alloquebatur: „Diutius vixi, quam spe-

Thuan. l. 23.
Onuphr. l. c.

Sæcul. XVI.
A.C. 1559

„rare potuissem : a vobis autem peto,
„ut, si fors negligentior in Senatu co-
„gendo fui, quam ratio officii postulare
„videbatur, id ætati, & adversæ vale-
„tudini condonare velitis : deinde vos
„hortor, ut in optimo Successore, qui
„Ecclesiæ incrementa procurare stu-
„det, vota vestra conjungatis : postremo
„ut sanctissimum inquisitionis tribunal,
„quo uno sacræ Sedis auctoritas, fides,
„que firmatur, commendatum habea-
„tis, enixe rogo. „

Ita dimissis Cardinalibus, cum Bar-
tholomæus Cueva Cardinalis natione
Hispanus, qui solus remanserat, jactu-
ram Reipublicæ Christianæ, si tali Pa-
store hoc tempore orbaretur, se dolere
diceret, Pontifex Hispanica lingua re-
spondit : „Ego ita vitæ cursum institui,
„ut quoties ex hac mortali vita abeun-
„dum esset, Deum vocantem æquo, ac
„propenso animo sequi paratus forem :
„insuper fiducia me solatur, quod fir-
„mum catholicæ fidei defensorem (in-
„nuebat Philippum) a Deo optimo da-
„tum relinquam ; de cujus consiliis in-
„Religionis negotio ante cognovi, eoque
„vindice rempublicam christianam quan-
„tumvis afflictam recreari, & in pristinum
„statum restitui posse minime dubito. „

§. XIII